

DE
NOXIIS *1775, 26*
REPERCVTIENTIVM
EFFECTIBVS *6*

CONSENSV AC AVCTORITATE
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA

P R O

G R A D V D O C T O R I S
LEGITIME CONSEQUENDO *No. 18.*

DIE XXVI. IVLII ANNO CICCC LXXV.

P V B L I C E I S S E R È T

BALTHASAR IOANNES IVRTZICK

KORNITZIO — RATTIORIENSIS SILESIUS

A. A. L. L. ET PHILOS. DOCT.

HALAE SAXONYM

T Y P I S H E N D E L I A N I S.

SP

Mihi placet, vt in vniuersa arte mentem adhibeamus.

HIPPOCRATES L. DE VICTV ACVTORVM.

•2158

SPECIMEN HOC IN AVGVRALE

H V M I L L I M E

D. D. D.

A V C T O R.

SACRATISSIMO
ET
POTENTISSIMO
INVICTISSIMOQUE PRINCIPI
DOMINO DOMINO
IOSEPHO II.
ROMANORVM IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO
GERMANIÆ HIEROSOLYMORVMQUE
REGI
ARCHIDVCI AVSTRIAЕ
RELIQVA



D E
N O X I I S
R E P E R C V T I E N T I V M
E F F E C T I B V S.

§. I.

Medicum non eorum solum, quae ad sanitatem tum conseruandam, tum restituendam iuvant, verum eorum etiam, quae nocent, cognitione conspicutum esse debere, non est, quod dubitemus. Dum enim, quae occasionem morbis praebere possunt, arcemus, morbos pariter saepius auertimus, ac morbis iam enatis facilius medemur, vitatis maxime iis rebus, quae malum

A

aut.

aut augere, aut certe, quo minus tuto profligetur, impedire possunt. Remediis vero maximam curam impendere debere medicum, facile patet. Ea enim obseruantur tam salutem adferre, quam detrimentum; vnde Graeci, quo vtrumque significant, φαρμακα illa appellarunt. Eorum vero effectus pendere tam ab ipsorum viribus, quam a receptiuitate et constitutione corporis, cui offeruntur, certissimum est, ita, vt in hoc corpore remedium quoddam venenum potius existat, quam medicamentum, in alio vero contrarium obtineat. Est itaque veri nominis medici tam ea omnia perscrutari, quae conserunt, vt remedium bonos effectus edat, adeoque medicamentum verum existat; quam ea maxime etiam metiri, quae faciunt, vt detrimentum atque periculum potius aegrotis ab eorum vsu immineat, quam salus, atque adeo illud venenum magis sit, quam medicamentum. His vero cognitis, ex illis remedii ea in primis eligenda esse, quae certo et absque periculo salutem spondent, ea vero vitanda, aut saltet cum magna circumspectione adhibenda esse, quae ancipiti forte euentu iuvant, facile est intellectu.

Ego vero, cum medicos, repercutientia in plurimis morbis fatis tuto adluiberi posse, falso sibi persuadere animaduerterem, impræsentiarum de noxiis repercutientium effectibus exponere constitui; bonos effectus ab iis exspectandos cum damnis ex illis oriundis comparatur. Cui vero nostrae disputationi B. L. aequi bonique consulat, hoc est, quod maxime rogamus.

§. II.

§. II.

REPERCVTIENTIVM DEFINITIO.

Primo omnium vero monemus, venire nobis sub repercutientium nomine ea remedia, quae vocari aliis solent *reprementia*, *repellentia*, Graecisque *απορρεψις*, id est, *remedia externa*, quae humores *a partibus externis*, *ad internas pellunt*, indeque excretionem cutaneam imminuant, tollunt, atque humores in interioribus partibus accumulant.

§. III.

EORVM ACTIO.

Agunt certe haec remedia, quod iam ex definitione patet, dum humorum fluxum ad interiora promouent, eorum vero, quae ad superficiem tendunt, nisum superant, illosque ad interiora pellunt. Posse humores repelli, exemplo ab animi commotionibus desumto, SWIETENIVS *) euicit. Quinque vero modis a remediis externe applicatis repulsum contingere, nostrum iam est ostendere.

Primo itaque facile est perspectu, repulsum *confingentibus* maxime obtineri. Dum enim solidorum, atque in primis vasorum cutaneorum extensio imminuitur, non potest non fieri, ut in minuto vasorum lumine, eorumque motu constrictorio aucto, humores, qui ad interiora tendunt, velociori motu promoueantur, et resistentia actione-

A 2

que

*) in T. I. Commentt. pag. 665.

que aucta humores aduenturi minima vasa intrare impedianter, illaque demum repellantur. Remedia, huc maxime referenda, sunt fere sequentia, nimirum plantago, pseudoacori radix, sigillum Salomonis, alchymilla, anserina, bursa pastoris, persicaria (*hydropiper*), radices tormentillae et bistortae, baccae myrti, cortices peruvianus, tamarisci et granatorum, horumque flores, gallae, sanguis draconis, terra catechu, vitriolum eiusque spiritus et phlegma, alum, horumque species, haematites, saturnina, actu frigita.

Obtinetur deinde etiam repulsus *exsiccantibus*: quorum actio maxime dijudicanda est ex illis, quae de constringentibus dicta sunt. Dum enim fluidis partibus solida orbantur, eodem modo contractio efficitur, quo constringentibus. Id vero in his praecipue tenendum est, repulsum stimulante, quo haec gaudent, principio, admodum adiuuari, augeri. Remedia huc spectantia sunt; aromatica, calx viua, eiusque aqua, camphora, spiritus, tam vini simplex, quam compositi, salini, oleosi, et olea aetherea, rel.

Porro *congulantia* referri ad repercutientia merentur. Etenim dum humores densiores redduntur, intrare vasa minima nequeunt, et quae iam adfint, aucto solidorum nisi ad interiora prououentur; quae aduehantur, repelluntur. Maxime vero huc referenda sunt illa, quae iam ad constringentia et exsiccantia spectant, atque in primis saturnina concentrata.

Tun-

Tandem vero inter repellentia nominanda sunt *relaxantia*.
Nam enim ductus excretorii iusto laxiores fiunt, adeoque motus illorum oscillatorius minuitur, ipsa excretio minuitur vel tollitur, ita ut humores excernendi ad interiora redire cogantur. Quorundam pertinent farinosa, mucilaginosa, oleosa, humida.

Denique obturantia s. *conglutinantia* repellentia constituant.
Obturatis enim poris cutaneis iterum excretio humorum impeditur; illa autem impedita necesse est, ut fluidum excernendum per venas retroagatur. Huc spectant omnia remedia tenacia et pinguia.

§. III.

E O R V M · V S V S .

Solent itaque repercutientia in plurimis morbis curandis commendari, maximisque praecomiis ornari; et praecipue quidem ad humores in extensis partibus stagnantes repellendos, siue serofos, siue sanguineos, et ad iusto maiores humorum excretiones sistendas perutilia censentur. Qua de re in specie commendantur in tumoribus, inflammationibus, e. c. oculorum, erysipelate, in fudo-ribus, in haemorrhagiis, haemorrhoidibus caecis et fluentibus, in febribus et exanthematibus. Vario itaque nomine celebrantur. Et adferunt etiam magnam utilitatem in illis vitiis, quae pendent a nimia solidorum laxitate, et vbi humores ipsi nullo vitio laborant.

At enim vero, ea nihilo minus maxima saepissime adserre damna deinde ostendemus, vbi eorum usum in illis morbis, in quibus commendari maxime solent, cum damnis exinde oriundis sumus comparatur. Cui vero comparationi praemittenda quaedam esse arbitramur, ad eorum actionem in genere spectantia.

§. V.

ACTIONIS DIFFERENTIA.

Differre medicamentorum actionem ratione virium, quae illis insunt, inter omnes constat: adeoque idem valebit de repercutientibus. Deinde vero remediorum actionem aestimemus oportet ex receptuitate corporis humani *). Et hic sane maxime, in dijudicanda repercutientium actione, ad corporis constitutionem, cui adlicantur, respiciendum erit: id certe facile est intellectu, eo maiores effectus editura esse in subiectis usurpata, quae commoueri facile possunt **). Confert deinde etiam aliquid et locus, cui proxime applicantur: quamvis, quod ex partium consenseru rite aestimato facile dijudicatur, aliae etiam

*) Remedia externe usurpata eidem effectum edere solent ac assunta: ea forte lege, vt quae maxime in solidas partes agunt, extus applicata, minori dosi fortius agant, quam assunta. De venenis faltem id certissimum est. cf. HOFFMANNI *Oper.* T. I. p. 198 seqq.

**) In quibusdam hominibus, teste HOFFMANNO (*Oper.* T. I. p. 360.) tam exquisita sensacionis cutis est: vt etiam spirituosa et camphorata ferre nequeant, insigni documento, etiam cum hisce medico agendum esse quam cautissime.

etiam partes deinde facillime adficiantur. Probare certe hoc licet exemplo a frigore admisso ad corpus defunto. Etenim quando caput maxime frigore tangitur, inexpugnabilis sere hemicrania oritur; quando pectus frigori diu exponitur, asthma conuulsuum inde nascitur, quod omnem saepius respuit medicinam. Abdominis atque in primis ventriculi regione frigidiori aeri exposita, eiusdem inflatio, et quae ad intestina spectant, colica spastinodica et flatulentae tensiones oriuntur. Ad oculos solos admisum frigus eorundem inflammaciones producit. Differt deinde etiam eorum actio ratione subiectorum. Sic enim aer frigidus, ut eodem utr ex exemplo, ad vterum admisus menstruum fluxum prohibet, idemque ad puerperae vterum admisus lochia supprimit, funestasque inflammationes et febres ciet.

§. VI.

A C T I O I N S A N O S .

Iam vero, quae obseruari phaenomena soleant, quando corpori sano, admissa aliqua causa, humores a corporis superficie versus internas partes pelluntur, exponenda sunt. Non posse non fieri, ut transpiratio insensibilis cohibeatur, quis est, quin videat. Dum enim vasa exhalantia constringuntur, humoresque simul iusto densiores redundunt, intrare omnino vasa exhalantia non poterant. Aucta deinde partium solidarum in fluidas actione, motus humorum ad internas crescit, et qui ad superficiem tendunt humores, maiori solidorum nisi re-

pel-

pellentur. Vnde primum obseruatur calor, et impetus sanguinis austus, congestiones ad varias partes, in primis debiliores, cordis palpitationes, praecordiorum anxietates, spasmī, dolores, tumores, varia humorum vitia, vasorum minimorum obstructiones, humorum errores loci, inflammations, motus febries, febres, respiratio difficultis, immo suffocatio; deliria, conuulsiones, lypothymiae, apoplexiae, colicae affectiones, haemorrhoides, abortus. Vno verbo omnia mala, quae sequi solent impeditam transpirationem et impetum sanguinis versus nobiliores partes nimium iusto adauictum. Cui etiam accedit, vt ratione consensus, qui inter intestina et corporis peripheriam obtinet, illa eadem etiam mala experiantur, quae in externis adsunt, in primis spasmis doloribus, inflammationibus corripiantur, et mala reliquarum partium internarum illa adaugeantur.

§. VII.

ACTIO IN AEGROTOS.

Corporibus, quae vario iamiam laborant humorum vicio, partiumque internarum nobiliorum, siue a constitutione naturali, siue a praegressis morbis inducta, debilitate, atque vicio quocumque, malitia etiam imminere damna, facile intelligi potest. Ita e. c. illi, quorum pulmones a quacumque causa debiliores existunt, facile, congestionibus versus pectus abortis, haemoptoe corripi poterunt. Qui densiorum humorum copia abundant, faciliter inflammations experian-
tur

tar necesse est. Sic etiam maxima damna metuenda sunt in illis, qui humorum acrimonia laborant. In his enim pruritus maiores, dolores, spasmui, conuulsiones, vlcera, erosiones vasorum, haemorrhagiae, inflammations, imo gangraena, in internis oriantur, quaeque ratione singularis acrimoniae differant et maiora etiam damna producant, necesse est.

§. VIII.

VBI IN PRIMIS NOCEANT.

In genere vero multum detrimenti ab usu eorum metuendum est in illis, qui humorum copia abundant. Facillime enim adparet, humores in alias partes facilius impingantur, atque in primis in nobiliorum aliquam vehementius irruant, necesse esse, quando forte plethora adest, aut humorum orgasimus. Quae quidem magni momenti semper constituant repugnans. Nonne enim partes nobiliores in primis defendendae sunt? Nonne omne, quod forte imminet malum, ad exteras potius partes deriuandum quam maxime? Id quod hodie student medici in multis morbis, adeo iure laudatis, epispasticis efficere: quodque natura ipsa, sibi relicta, magno cum fructu saepius molitur, dum noxios humores ad exteriore parts pellendo, atque ita nobiliores defendendo, tumores et inflammations cet. efficit, minus corpori detimento fa, quam enata mala interiora. Et omnis certo morbus

B.

eo

eo maiori stipatur periculo, quo magis laesa sunt viscera, quae maxime faciunt ad vitam. Licetne igitur ea in auxilium vocare, quibus ipsis malum atque periculum augetur?

§. IX.

NOCENT IN CRISI.

Quod ad morbos in genere attinet, illos crisi plurimum solui, eaque vel bona, vel mala, perfecta vel imperfecta, inter omnes constat. Bonas perfectasque crises quod attinet, eas maximo saepius aegrotorum emolumento contingere, quotidiana docet experientia, iliasque nullo modo turbandas, nec quidquam omnino moliendum esse, quod perfectam suppressere, aut imperfectam reddere possit, sed omnia potius esse curanda, quae forte ad ipsas conferunt, ratio euincit. At enim vero plures, dum veterum quidem temporibus illas contigisse et in calidioribus regionibus obseruari; hodie vero, cum medicamentis statim opem aegrotis feramus, atque in his terris, vix ac ne vix illas apparere, sibi persuadent, ^{*)} peccare in his solent. Etenim suppriumunt saepius enatas crises maxime salutares, magno certe aegrotorum damno, dum repercutientia vel de industria adhibent, vel incante ad-

mit-

^{*)} In nostris etiam regionibus et temporibus crises contingere, multis argumentis docuerunt Fr. HOFFMANNVS (Oper. T. I. p. 386 seqq.) et V. SWIETEN (Comm. T. I. ad §. 587.).

mittunt. Inde maxime metastases in interioribus partibus contingunt, quae et plus periculi habent, et in medendo multum pariunt difficultatis.

§. X.

IN VARIIS CUTIS VITIIS.

Dicendum iam est de singulis morbis. Repercuentibus adhibitis in *variis cutis vitiis*, pustulis varii generis, tinea capitis, scabie, liberari quidem cutis ab his vitiis potest; attamen multa alia, et nonnumquam grauissima mala inde sequuntur, peccante materia reuersa, et ad interiora delata. Sic *guttam rosaceam*, cosmeticis repulsam, sequuntur ophthalmiae, palpebrarum, labiorum oris tumores molesti, et si ad pectus recedit, saepius raucedo cum difficulti respiratione, nec non ipsa phthisis oritur. *Tinea capitis* in infantibus reperculsa, epilepsia, oculorum inflammatio, eorumque suppuratione, immo plenaria caecitas, sordida narium vel aurium vlcera, atque asthmata conuulsiva oriuntur. *Scabiem* repulsam, praecipue si ad pectus materia pulsa est, dispnoea, asthma conuulsuum et suffocatiuum: quando ad ventriculum, vomitus, cardialgia, ventriculi inflammatio, et diarrhoeae cruentae, excipiunt; immo febres quoque varii generis, tam acutae, quam lentae, inde prouenire solent. Eadem certe valent de retropulsis, herpete, lepra, rel.

B 2

§. XI.

§. XI.

IN INFLAMMATIONIBVS.

Accedimus ad *inflammationes*. Hae magno aegroti emotu-
mento ad exteriora delatae vix ac ne vix absque damno repelluntur.
Sic *erysipelas*, repercutientibus tractatum, vel in mala ulcera abit, vel
morbi materia ad interiora promota, ventriculi inflammationem, fe-
bresque mali moris producit. *Capitis* in primis repulsum *erysipelas*
sequuntur phrenitis, angina, linguae paralyssis, hemiplegia, catalepsis,
&c. Applicatis in *ophthalmia* frigidis collyriis frequentius lippitudines
immedicabiles, visus deperditio, immo suppuratio, et vera caecitas, ob
humorem spissitudinem productae, enascuntur. Et certe pro partium
varietate, quibus inflammatis applicatur, et pro aegri, humorum
maxime constitutione, BOERHAAVIO teste,^{*)} oriri poterunt gangrae-
na, scirrhos, cancer, tum internarum, tum externarum partium. Ita
quoque eiusmodi mala metuenda sunt, cum mulieribus, quae no-
uissime pepererunt, et mammas infantibus non porrigit fugendas,
aeque ac illis, quae infantes, ut astant, ablactant, a lacte in mammis
stagnante orti sunt timores et inflammationes mammarum. In qui-
bus, si non suctione et resolutione auxilium fertur, sed reper-
cutientibus potius tentatur, non potest non fieri, ut illa mala, gra-
uiora

^{*)} aphor. 390. 485. 495.

uiora certe, *) sequantur, quae solent nasci ex retropulso et stagnante lacte.

§. XII.

IN EXANTHEMATIBVS.

Iam exponamus de *exanthematibus*, symptomaticis illis, vel criticis, febreque stipatis, vel minus. Nocere in his repercutientia per se patet. Etenim in his omnibus semper vitium contraxerunt humores, quod itaque corrigendum potius est, atque ex corpore eliminandum, quam ut cum illis ad nobiliores partes remittatur. Nec mirum adeo est, quando his adhibitis, vel admissis, mala sequuntur, quae tam retropulsu humorum corruptorum, quam turbatis crisisbus, et materiae metastasi respondent, diiudicanda etiam ex officio, quo laesae partes funguntur. Nimurum praeter summas praccordiorum anxietates, dolores, spasmos, inflammaciones, gangraena etiam, febres, suffocatio, aphthae, haemorrhagiae, dysenteria, et sexcenta mala metuenda sunt. Iam de singulis moneamus. *Variolis* certe retropulsis a leuissima causa, terrore, frigore, corpore diu in situ erecto detento, conuulsiones, immo mors ipsa, sequuntur. Retrocessis *morbillis*, materia maxime ad pectus delata, valida sicca et conuulsiua oritur tussis, immo suberto asthmate et catarrho suffocatiuo plures intereunt. Sae-

B 3

pius

*) cf. v. SWETEN Comm. T. IV. ad §. 1329.

pius etiam letalis ventriculi inflammatio cum lipothymiis insequitur. *Purpura*, tam chronica, quam acuta, ad interiores partes pulsa, obseruantur lipothymiae, anxieties praecordiorum, pectoris oppressiones cum difficultate spirandi, agrypniae, aestus quoque cum frigore et tremore alternantes. Nec solum eadem mala, sed ipsa etiam citissima mors obseruantur oriri a retropulsis *petechiis* et *carbunculis* vel *bubonibus*, quae in peste locum habent.

§. XIII.

IN HÆMORRHAGIIS.

Commendari deinde repercutientia maxime solent ad sistendas humorum excretiones, in primis ad *haemorrhagias*. At quanto plerumque aegrotorum damno! saepius enim, naturae ope, graues et vix vlla arte sanabiles morbi fanguinis profluvio felicissime soluuntur. Neque enim criticae folium existunt maximeque salubres in febribus acutis, sed praeter ea variis etiam ipsae medentur chronicis morbis. Teste enim **HOFFMANNO** *) infania, vertigo, asthma conuulsuum, affectus soporosi, paralytici, hemicraniae, arthritici et rheumatici dolores, pathemata hypochondriaca, immo conuulsiones et epilepsiae, exfoluto sanguine remiserunt et cessarunt. Illas vero suppressas sequitur

im-

*) Oper. T. I. p. 409.

impetus sanguinis ad caput et pectus auctus, ita ut tam apoplexiae, quam suffocationis periculum immineat, immo oriuntur haemoptyses vomitusue cruenti. Numquam igitur tuto adstringentibus hi fluxus fistuntur, cum summa semper mala metuenda sint. Sic etiam stypticis vtero admotis ad impediendam largiorem haemorrhagiam, vteri inflammatio, exulceratio, gangraena, cum febre exoriantur: et dum plebeiae mulierculae orificio vteri obturant, vaginamque linteis implet, fistunt quidem haemorrhagias, at ita, vt, corrupto intus sanguine, vteri inflammatio, immo gangraena, atque mors demum sequatur. Et quanta a lochiis suppressis mala! Saepius sane inde vteri inflammatio, et gangraena, et ex illa in primis purpura puerarum, oriuntur. A fascia, nimis iusto adstricta, lochia suppressa, summa anxietas, animi deliquium, dolores, animaduersa sunt. *)

§. XIV.

IN ARTHRITIDE ET VARIA METASTASI.

Sumnum etiam aegrotis imminet periculum a metastasi materiae *arthriticae*, vel alias, depositae in partibus exterioribus, illaque inducta repercutientibus. Sic repulsa *podagra*, si ad caput delata est, atroces capitatis dolores, vertigo, apoplexia, hemiplegia, paralysis, me-

mo-

*) V. SWIETEN Comm. T. IV. p. 625.

moriae abolitio, faeuia odontalgia, aphonia, gutta serena, rel. oriuntur. Materia ad pectus potissimum pulsā, pleuritis, ferina et chronica tussis, dispnoea, asthma cum metu suffocationis obseruantur. Saepius ad imum ventrem delata materia, sequuntur appetitus prostratio, nausea, dolor grauatus, praecordiorum anxietas, vomitus quoque cruentus, vomendi conatus; immanis intestinorum dolor, iliacus, colicus, diarrhoeae, immo cruentae deiectiones: vel illa ad renes in primis pulsa oritur calculus renalis, et quae pendent ab hoc. Et hic certe saepius peccatur: SYDENHAMVS enim *fidenter assert*, *multa et longa obseruatione suffultus, maximam partem eorum, qui podagra periisse putantur, non tam ipso morbo, quam sublesta atque indebita (per repellentia tentata) medicatione fuisse peremtos.* *) Ita quoque a percipientibus *parotidibus* applicatis, insegnuntur vix sanabilia pulmonum vitia, asthma, phthisis, tabes, oris et linguae ulcera. Idem obtinet in tumoribus *subaxillarum* glandularum, vnde originem duxerunt pectoris oppressiones et ferinae tusses. Multa, hisque analoga, etiam damna enascuntur a retropulmā materia, quae circa aures et inguina stagnauerat.

§. XV.

*) Oper. T. I. p. 329.

§. XV.

C O N C L V S I O .

Ex quibus omnibus luculenter equidem patere arbitror, repercutientia infidum et noxium plerumque auxilii genus constituere, atque abstinere ab illis omnem rationalem medicum, certe cum maxima circumspectione illis vti debere. Neque tamen minus admitti illa non numquam posse, sorte obiici possit, cum febris arte producenda sit, et vbi vix ab aliis remediis auxilium exspectari possit. HIPPOCRATES quidem haec habet: *quandoque in nervorum diffensione, absque vlcere, in iuene quadrati corporis, aestate media, frigidae copiose perfusio caloris revocationem efficit, calor autem haec sanat:*^{*)} et post affusam frigidam plurimam, vestimenta tenuia, pura et calida superiniicito, tuncque ignem ne addibeto. *Hoc modo tetani et opifibotanii curandi.*^{**)} Credidit igitur aucto calore (nos hodie, circulo sanguinis velociori) his malis mederi medicum posse. At si perpendamus, admodum restrinxisse ipsum suam sententiam, et cum hac, alia ipsius loca comparemus, me quidem iudice, his abstinebimus. *Frigidum,* inquit, *convulsiones, nervorum diffensiones, denigrations, et rigores febribiles efficit: et est frigidum aduersum ossibus, dentibus, nervis, ee-*

TC-

^{*)} ephor. 21. Sect. VII.^{**) de morb. L. III. S. V. p. 492. Ed. Foer.}

rebro, dorsali medullae: et frigida, velut nix et glacies pectori sunt aduersa, tuffes mouent, sanguinis eruptiones et distillationes efficiunt. *)
Hisne igitur, eo ipso teste, securè vtendum est ?

Medicamenta demum ipsa prius, quam egregios effectus edidisse putemus, probe examini subiiciamus, alione modo iuuerint: si enim, e. c., resolutionem salutarem effecerint, sub resoluentium, neutriquam sub repercutientium nomine celebrentur.

*) Sect. VII. aphor. 17. 18. 24.



ULB Halle
003 249 530

3



56.



DE
N O X I I S 1775, 26.
REPERCVTIENTIVM
E F F E C T I B V S 6

CONSENSV AC AVCTORITATE
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA

P R O

G R A D V D O C T O R I S
LEGITIME CONSEQUENDO 90. 18.
DIE XXVI. IVLII ANNO CLCCLXXV.

P U B L I C E L I S S E R E T
BALTHASAR IOANNES IVRTZICK
KORNITZIO — RATTIOPRIENSIS SILESIVS

A. A. L. L. ET PHILOS. DOCT,

HALAE SAXONYM
T Y P I S H E N D E L I A N I S.

